

# BENEDICTIO PEREGRINORUM.

AD LOCA SANCTA PRODEUNTIIUM.

## TITULUS VICESIMUS OCTAVUS.

### SUMMARIUM.

- 1 Non omnes qui vagantur, sunt peregrini.
- 2 Peregrini quinam vere sint?
- 3 Qui Romam petunt, vocantur Romei, seu Romipetae.
- 4 Qui Hierosolymas petunt, appellantur Solimei.
- 5 Caeteri appellantur Vagi, Vagabundi, Advenae, Birbones, etc.
- 6 Primi indigent hac Benedictione.
- 7 Loca Sacra quatenam sint?
- 8 Qui ad alia loca Sacra peragraret, dicitur etiam Peregrinus.
- 9 Peregrini in sua Regione dicuntur Incolae.
- 10 Vagabundis totus Orbis Patria est.
- 11 Antiquae Peregrinationes.
- 12 Peregrini antiqui benedicebantur.
- 13 Benedictio haec impertiri solet Anno Saeculari seu Jubilaei.
- 14 Paulus II. reduxit Jubilaeum ad quoscumque 25 annos.
- 15 Litterarum Patentium pro Peregrinantibus nulla formula.
- 16 Formula ex Cancellaria Episcopali Ferrariae.
- 17 In formula expresse enunciari debent loca Sacra, ad quae, etc.
- 18 Istae litterae Patentis vocantur formatae.
- 19 Tradebantur istae Litterae a Chorepiscopis.
- 20 Ad Episcopos spectat tradere has litteras.
- 21 Parochus debet ferre testimonium de Sacramentorum susceptione.
- 22 Peregrini ante iter confiteri debent, et sumere Eucharistiam.
- 23 Sacerdotes, et Clerici quid facere debeant?
- 24 Missa pro Peregrinantibus dicenda.
- 25 Ritus hujus Missae est Votibus.
- 26 Si per Mare iter fiat, dici potest Missa pro Navigantibus.
- 27 Peregrini ad Altare benedicendi sunt a Sacerdote.
- 28 Peregrini quomodo induti esse debeant?
- 29 Vestes mulierum peregrinantium.
- 30 Si Peregrini plures sint, habere debent Vexillum cum Sacra Imagine.
- 31 Ritus hujus Benedictionis.
- 32 Benedictio haec non incipit per *V. Adjutorium nostrum, etc.*
- 33 Cur omittatur, *V. Adjutorium, etc.*
- 34 Peregrini sunt Cruce signandi.
- 35 Peregrini aspergi debent Aqua benedicta.
- 36 Sacerdos debet accommodare verba sensibus, et Personis.

- 37 Advertenda circa Sacerdotes Peregrinantes.
- 38 Sacerdotes debent habere litteras Dimissoriales.
- 39 Sacerdotes debent explicare comites itineris sui.
- 40 Sacerdotes debent exprimere, an sint Beneficiati.
- 41 Sacerdotes celebrare debent ante Peregrinationem.
- 42 Sacerdotes peregrinantes decet, ut habitu contractioni utantur.
- 43 Laici quoniam litteras testimoniales habere debeant.
- 44 Peregrini habere debent Sospitatis Syngraphas, sibe. *Fede di Sanità.*

Benedictio haec, ad hoc ut rite, et recte impertiatur, habet multa, quae particulari animadversione digna sunt, de quibus in Textu mentio fit. Singula clariori qua possumus methodo, explicabimus, prout infra.

§. 1. Peregrini ad loca Sancta profecturi, antequam discedant, juxta Veteris Ecclesiae institutum, deberent accipere patentes, seu commendatitias litteras a suo Ordinario, seu Parocho.

1 2 3 4 5 6 Non omnes qui per Orbem vagantur, Peregrini nomine appellandi sunt, sed tantum illi, qui extra suam versantur Regionem, et devotionis gratia, peregre proficiscuntur ad locum praefixum, in quo aliquod Sanctuarium adsit, Anaclet. *l. 2. decr. tit. 2. §. 2. per. tot.* unde qui Romam petunt, Romei. seu Romipetae appellantur: Solimei, seu Hierosolymipetae, qui ad Hierusalem tendunt. Quare hodie rarissimi sunt qui vere Peregrini dici possint, et unice ad hunc finem peregrinationem suam ineant. Caeteri vero Vagi, seu Vagabundi, Advenae, Birbones, seu Mendicantes nuncupandi, Menoch. *de Arb. cas. 552.* Igitur de primis habetur sermo in praesenti Titulo, et isti vere Benedictione indigent, ut tuti, et incolumes ad statuta Sanctuaria perveniant.

7 8 In numero locorum Sacrorum, praeter Sacrum Sepulchrum, et totam Hierosolymitanam Regionem, in qua Christus Redemptor noster passus est, adnumeratur etiam Civitas Compostellae in Hispania: Roma sanguine Martyrum consecrata; limina Apostolorum; Domus Sacra lauretana a Nazareth translata, Assisium ad Portiunculam pro Jubilaeo universali, Patavium, ubi Corpus S. Antonii Patavini colitur, Tolentinum, ubi S. Nicolai brachia sanguine manantia servantur: Neapolis, ubi corpus S. Januarii Martyris, et ampulla sanguine suo servens mirabiliter invisitur, et nonnulla alia Sanctuaria ab Ecclesia Catholica approbata, et definita: inter quae locum habere potest, Ferrariae, Sanctissimus Christi sanguis prodigiose jam ex Sacra hostia emanatus, ab anno usque 1135. qui in Ecclesia

Sanctae Mariae in Vado nuncupata, Canonicorum Regularium S. Salvatoris, ad Capellam, insigni architectura constructam, totamque sanguine illo Sanctissimo in fornice aspersam, religiosissime colitur. Quibus addo etiam magnum Sanctuarium Bariense in Apulia, in quo corpus S. Nacolai Myrae Episcopi, et Confessoris manna inundans, summa celebritate veneratur. Quare qui etiam ad aliquem alium locum, in quo vel Sacra Imago aliqua portentosa, vel corpus alicujus Sancti colitur, peragraret, vere Peregrinus esset: non vero qui ad alium finem iter longinquum, vel breve perageret.

9 10 Discessus Peregrinorum fit a propria Patria, et domo; et ex hoc patet distinctio inter Peregrinos, et Vagabundos: isti permanentem locum non habent, illi antequam discedant, in sua propria, et nativa Regione dicuntur Incolae, et Cives. Secus vero illi qui semper vagantur quibus totus Mundus Patria est, et nunquam dici potest eos discedere ad peregrinandum, quia vita illorum continua peregrinatio est, nec habent locum, in quo Patentes, seu commendatitias litteras possint accipere, quoniam nullibi degunt, et ubique sunt, nec primum locum habent, a quo discedant.

11 12 De antiquis Peregrinationibus ad Reliquias Sanctorum, et ad alia Sancta loca luculenter scripsit Casalius *d. cap. 30.* ubi multa affert testimonia hujus antiquitatis, quae magis, ac magis venerationem augent erga dictas Reliquias et loca illa Divino Cultui mancipata, ut pio affectu, ac devotione frequententur. Quod vero benedicerentur ii, qui ad ista Sanctuariorum seu ex Voto, seu ex devotione pergerent, nullum adhuc inveni exemplum apud antiquos: standum est tamen testimonio nostri Ritualis, quod vetus Ecclesiae institutum hoc esse declarat.

13 14 Praecipue istae Peregrinationes fieri solent, atque simul impertiri haec Benedictio Anno saeculari seu Jubilaei universalis, quando Fideles ad limina Apostolorum gregatim, e longinquis Regionibus se conferunt, quocumque vigesimo quinto anno, ex reductione Pauli II. Pont. *Constitut. Ineffabilis, anno 1470. die 19. Aprilis,* quam Confirmavit Sixtus IV. *Constitut. Quemadmodum operosi, etc. an. 1475.* et successores Pontifices approbaverunt.

15 Secum itaque veri Peregrini deferre debent litteras Patentes Ordinarii sui. Nulla vero habetur forma harum Patentium, seu commendatitiarum in amplissimo Formulario Monacelli: quare non inutile fore duco si eam hic describam, prout in Cancellaria Episcopali hic Ferrariae usu habetur, et Peregrinantur gratis traditur, videlicet.

16 *N. Miseratione Divina, etc. Episcopus N. etc.*

*Universis, et singulis praesentes litteras inspecturis salu-*

*tem in Domino, Cum N. N. Praesentium lator Romam ver-*  
*sus (seu ad alia loca Sancta singillatim describenda) iter arri-*  
*pere intendat, prout nobis exposuit, Sacra limina Principis*  
*Apostolorum (seu aliorum locorum nominandorum) caeterasque*  
*Basilicas visitaturus devotionis causa: illum propterea in hu-*  
*jusmodi pio desiderio benigne confoventes, omnibus Christi fi-*  
*delibus, et praesertim Hospitalium, Piorumque locorum Minis-*  
*tris quibuscumque in Domino commendamus, ut cum charitate*  
*excipiant, piisque charitatis officiis prosequantur, centupli-*  
*cem a Deo Optimo Maximo, omnium bonorum Datore, merce-*  
*dem recepturi, In quorum etc.*

*N. Episcopus N.*

*Vel N. Vicarius Generalis.*

*Loc. ✕ Sigilli.*

*N. cancellarius.*

17 Ex qua formula clare apparet, quod expresse enunciari debent loca Sacra, ad quae Peregrinus iter arripere intendit, ne a via illuc tendente declinans, fraudulenter, et ad alium finem utatur his litteris.

18 19 20 21 Istae litterae aliter vocantur formatae, et a Chorepiscopis olim tradebantur, Macri *Hierolex. verb. Chorepiscopus;* de quibus S. Carolus *in Synod, Dioec. XI. Act. p. 2. et in Conc. Prov. 4, de Peregr. §. Laici;* haec ait. *Id cura Parochi praestetur, ita tamen, ut iis tantummodo, qui ejusdem Parochi testimonium scriptum habent, et de Sacramentis debito tempore susceptis, litterae formatae dentur ex Cancellaria Archiepiscopali. Cavebit autem Parochus, ne cuiquam Homini vago, aut quaestuariae Artis nomine suspecto, tale testimonium det.* Ex quo deducitur, ad Episcopum tantummodo spectare tradere has litteras commendatitias, non autem ad Parochos; ad quos tantum pertinet testimonium in scriptis facere de Sacramentis susceptis, atque ita intelligendus est praesens Textus, ubi dicit debere Peregrinos accipere has litteras *a suo Ordinario, seu Parocho;* quas omnino gratis concedendas decrevit Innocentius Papa XI. in *Taxa Innocentiana* edita anno 1678.

Alio nomine nuncupantur etiam istae litterae, nempe *Litterae Benedictionis,* et praecipue traduntur iis, qui pro quaestu ad colligendas eleemosynas in Captivorum liberationem, Orbem peragrantur, ut distinguantur a Vagis, et Birbonibus. Danturque una simul cum Benedictione ab Ordinariis: quarum exemplar unum habeo satis nobile, et authographum, quod ex Armeno Idiomate ad latinum transtulit D. Georgius Garabied Constantinopolitanus, et Monachus Basilianus Ferrariae diu commoratus, cujus verba fideliter hic reportare non inutile duco.

ENS.



Locus Sigilli, in quo habetur  
Jesu Christi Servus Joannes Doctor  
Patriarcha Constantinopolitanus.

“Jesu Christi servus Joannes Doctor, et miseratione Dei, ac  
“gratia Sancti Spiritus Praepositus, et Patriarcha Imperialis  
“Metropolis Constantinopolis. A quo perveniat *Littera Be-*  
“*nedictionis*, et epistola custodiae, gratia Apostolica, et divina  
“multiplex Benedictio ad omnes Gentes Christianorum; ubi  
“cumque pervenerit ista *epistola Benedictionis nostrae*. Sive  
“in Civitates, sive in Oppida, sive in monasteria, sive in Ere-  
“mos, sive in quaecumque loca. Primis Theologis Doctoribus,  
“Excellentissimis Episcopis. Peccatorum expiatoribus, Sacer-  
“dotibus, studiosis Diaconis, Principibus, Nobilibus, Mercato-  
“ribus, Artificibus, Viris, et Foeminis, Senioribus et Juvenibus;  
“Adolescentibus, et Virginibus, et omnis aetatis hominibus,  
“Amen. Gratia vobiscum, et Pax a Deo Patre omnipotente,  
“et a Domino nostro Jesu Christo, et a Spiritu Sancto vivifi-  
“cante, et abundanter donorum datore, Amen. Benedictio  
“Patris, custodia Filii, et Providentia Sanctissimi Spiritus,  
“semper, et omni tempore veniat, et requiescat super vos, et  
“impleat vos omni spirituali, et temporali gaudio. Amen. Et  
“simul cum ista gratiosa, et a Christo donata *Benedictione nos-*  
“*tra*, notum sit vobis suprascriptis, immaculato Sanguine  
“Christi redemptis Fidelibus, de isto Crimensi Arachel nomi-  
“nato Christiano, qui in Porta Principis Tartariae multo tem-  
“pore permanserat, et erat mercator ejus, et multorum Chris-  
“tianorum captivorum pretia decidebat, et ipsos conducebat  
“ad suos; et accipiens pretia ipsorum, referebat ad Tartaros:  
“Et hoc anno, Juvenis cujusdam nomine Francisci Venetiani  
“etiam pretium decedit, quadringentorum Scutorum, et cum  
“Socio suo Cyriaco nominato Christiano mittit Constantinopo-  
“lim ad Residentem Venetiarum; et iste coepit Juvenem, et  
“custodivit apud se, et non permisit amplius exire e Palatio.  
“Item bonorum adversarius Diabolus, videns istum Arachel in  
“ista bona opera, persecutus est ipsum. Iste enim iter faciens  
“cum quinque captivis, et cum mercibus trium millium Scuto-  
“rum, incidit in manus latronum, qui spoliarunt illum, et cap-  
“tivos, et merces abstulerunt; et ipse vix salvatus, nudus, et  
“miser venit Constantinopolim, sperando fore ut acciperet pre-  
“tium suprascripti Juvenis Venetiani: et tamen veniens inve-  
“nit illum etiam captum e manibus Socii sui Cyriaci, et diu  
“huc illuc currens, nihil potuit efficere: Ille enim Recidens Ve-  
“netiarum, qui coeperat suprascriptum Juvenem, jam mutatus  
“erat, et navem conscenderat. Idem Arachel debebat Princi-

“pi Tartariae mille Scutos, qui audiens hoc factum, domum,  
“et Filios Arachel in pignus coepit; dicens, quod si ad annum  
“usque non solvet Arachel mille Scutos, Filius ipsius Mahume-  
“tanos faciet. Et iste miser accessit ad nos, sperando in Deum,  
“et in pietatem vestram. Et nos examinatis omnibus, inveni-  
“mus vera esse omnia suprascripta, secundum testimonium  
“multorum Sacerdotum, et Laicorum; et miserti ipsius, conces-  
“sinus ipsi istam Epistolam BENEDICTIONIS, ut possit ve-  
“nire ad pietatem vestram. Et vos, o Fideles, videndo istum,  
“et miserti ipsius, abundantem Eleemosynam faciatis ipsi, ut  
“veniens liberet Filios suos e manibus alienigenarum. Et li-  
“berator Christas vos a peccatis vestris, et a Diaboli captivita-  
“te liberet, et pro donis vestris centuplum reddat. Amen.”

S. ✠ *Loc. Ego Cacciadur Doctos Alepensis, testis sum  
veritatis hujus rei.*

S. ✠ *Loc. Ego Antonius Archipresbyter Ecclesia S. Illu-  
minati, testis, etc.*

*Ego Jacobus Presbyter Galatae, testis, etc.*

*Ego Gaspar Presbyter Galatae, testis, etc.*

*Ego Arutin. Presbyter Galatae, etc.*

*Ego Jo. Baptista Presbyter Galatae, etc.*

*Ego Abraham Presbyter Galatae, etc.*

*Scripta est haec littera commendatitia anno Armenorum  
1124. (qui est Annus a Christo nato 1675.) Octobris 23 die  
Sabbati.*

Ecce quomodo una simul cum littera commendatitia, adest  
Benedictio, quae aequivalet solemnium Benedictioni impertitiae  
hujusmodi peregrino ab Ordinario loci, non vero ab alio ordi-  
nis inferioris, qui non habet talem potestatem.

§. II. Quibus obtentis, et rebus suis dispositis, facta  
peccatorum suorum confessione, et audita Missa, in qua di-  
citur Oratio pro peregrinantibus, Sanctissimam Eucharisti-  
am devote suscipiunt.

22 Hoc idem praecipitur in *Concil. Prov. V. §. de Religio-  
sis peregrinationibus, etc.* tam personis Ecelesiasticis, quam  
Laicis. De his dicit, quod antequam peregrinationem susci-  
pian, suum quique Parochum conveniant, a quo sancte pere-

grinandi consilium capiant, et peregrinationis iter suscipiant, ubi rite confessi, Sacram Eucharistiam religiose sumpserint.

23 De Ecclesiasticis vero ait, quod si fuerint vel Sacerdotes, vel Clerici, antequam peregrinationi se committant, peccata primo confessi, tum si Sacerdotes sint, Missae Sacrificium, quod est *pro iter agentibus*, offerre: si Clerici inferiores, Sacram Eucharistiam sumere studeant. Enim vero meliori viatico muniti procedere nequeunt, quam Pane Angelorum, qui eos in via confortet, atque in periculis tueatur.

De Missa, in qua dicitur *Oratio pro Peregrinantibus*, nihil affert Gavant. nisi quod legitur cum aliis in *Sacramentario Gregoriano*. P. 4. tit. 17. nu. 21. unde clare liquet Ritus benedicendi Peregrinos antiquissimum esse. Tota Missa est *pro Peregrinantibus, et iter agentibus*, atque incipit cum *Psal. 25. Redime me Domine etc.* qui scriptus fuit a David tunc, cum gravissimis calumniis accusaretur, quasi Regnum invadere appeteret, et propterea exulare, et latibula quaerere cogeretur, Bellarm. in *Ps. 25.*

25 Quoad ritum hujus Missae, quae a proprio Sacerdote celebrari debet, advertit Castald. *Prax lib. 2. sect. 11. eap. 3. num. 2.* quod celebranda est tamquam Votiva in paramentis violaceis, seu etiam de die, in paramentis congruis, pro dierum, et officiorum qualitate, in qua saltem post Orationem diei dicatur *Oratio pro Peregrinantibus*, desumpta ex eadem Missa.

26 Quod si haec Peregrinatio per Mare habenda esset; non inutile esset Orationem in Missali pro Navigantibus assignatam recitare: licet haec Oratio proprie pro iis qui in navi actu sunt, non vero pro illis qui navigationi se committunt, praescripta sit.

§. III. Expleta Missa, Sacerdos super eos genuflexos dicit sequentes Preces. Antiphonam, *In viam pacis, etc.* Deinde aspergantur Aqua Benedicta, etc.

27 28 29 Genuflectere, ut alibi diximus, est Orantis; et Petentis; unde expleta missa omnes Peregrini genuflexi sistere debent ad Altare, et Benedictionem expectare Sacerdotis, Castald. *ib.* Sed quomodo induti esse debent Peregrini dum benedicuntur? Respondeo eos debere esse indutos habitu Viatorio prout describitur a Castal. *ib. n. 1.* nempe Hasta viatoria, Pileo. Lecerna ex corio, vel tela cera imbuta sed brevi, et veste usque ad genua producta; qui Habitus etiam Mulieribus convenit.

30 Quod si plures sint ad id congregati, et catervatim pe-

reginari velint, Vexillum praeferre debent cum Imagineve Christi Crucifixi, vel B. M. Virginis, vel alicujus Sancti in ipso depicta.

31 32 33 Benedictio vero impertiri debet hoc ritu. Sacerdos adhuc indutus Sacerdotalibus vestibus (si post Missam hoc fiat) vel si extra Missam (quod de raro contingere solet) Cotta, et Stola violacei coloris. conversus ad Peregrinos circum Altare genuflexos; dicit: *In viam pacis, etc.* Ubi nota, quod ista benedictio non incipit more consueto aliarum, et fere omnium Benedictionum per *Adjutorium nostrum, etc.* sed per Antiphonam, et Canticum *Benedictus, etc.* assignatum in *Itinerario Clericorum*, in fine Breviarii: Et ratio est, quia cum imploratio Divini adjutorii habita jam sit per diversas preces antecedentes in Missa, hanc brevem invocationem repetere inutile videtur.

34 Dum Sacerdos dicit *Pax, et Benedictio*, signum Crucis super ipsos dextera efformabit, Castald. *d. l. n. 4.* ut muniantur virtute Redemptionis contra omnes hostes tum spirituales, tum corporales.

35 Aspersio denique cum Aqua Benedicta super singulos facienda est, ut in illorum Animabus purgentur, et expientur etiam peccata venialia, et ita Deo magis placentes, prospere iter suum aggrediantur.

§. IV. Quod si unus fuerit peregrinaturus, omnia dicuntur in numero singulari, ac si Sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius Peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

36 Sacerdotis benedictis tota cura est accomodare verba sensibus, et personis, nec in hoc est ultra morandum.

37 38 39 40 41 42 Occasione illorum verborum: *Si Sacerdos fuerit socius.* Multa advertenda a Sacerdote peregrinante notavit S. Carolus *Act. 1. Prov. V.* et primo: Ne sine litteris dimissoriis, ac testimonialibus Ordinarii sui se committat itineri, peregrinationis causa. II. Ut exponat Ordinario, vel ejus Vicario Comites Peregrinationis, quos sibi adjunxerit. III. Si obtinet Beneficium cum residentia, vel aliquo ministerio, ut substituat Sacerdotem ab Episcopo approbatum, cui rem, et ministerium suum committat. IV. Ut antequam peregrinatione se tradat, vel celebret Sacrificium Missae, vel sumat Sacram Eucharistiam, praemissa Sacramentali Confessione. V. Ut in itinere uti possit habitu contractiori, et a laicali vestitu distincto, necnon Tonsuram Clericalem perpetuo ha-

beat; et alia, quae in primo Tomo *Act. Eccl. Mediolan.* videri possunt, §. *de Religiosis Peregrinationibus.*

Inter istos Religiosos Peregrinantes habere locum possunt Episcopi, et praesertim illi, qui orientalibus Ecclesiis praesunt, si ad nostras Regiones aliqua de justa causa se conferre velint: pro quibus vere dignoscendis, an vere Episcopi sint, an Ecclesiae Ramanae Catholicae Fili, an vero Schismatici, necesse est, ut secum testimoniales, patriarchalesque litteras habeant: quae *Litterae Benedictionis* etiam vocantur, et dignae sunt, ut de illis in hac Benedictione Peregrinorum mentio fiat. Afferam itaque pro corollario, et ornamento hujus Tituli Litteras testimoniales Benedictionis, et collationis, Archiepiscopatus Erterumensis Isaaco Sahockovic Armeno, qui Romam petens, et per Ferrariam transiens hospitatus fuit in Domo Parochiali D. Joseph Antenor Scalabrini piissimi ac eruditissimi Parochi Ecclesiae Sanctae Mariae de Bucca, die 20. Decembris 1726. Hujusmodi Litterae ex Armeno idiomate ad latinum translatae fuerunt per superenunciatum D. Georgium Garabied Constantinopolitanum Monachum Basilianum Ferrariae degentem. Sunt vero.

ENS.

Locus ✕ Sigilli.

“Jesu Christi Servus Joanes Generalis Armenorum et Patriarcha Caliciae et Minister Sanctae dexterae Gregorii illuminatoris. Anno Armenorum 1170. (*Qui latine est 1721.*)  
“Augusti 28. Per voluntatem, et Misericordiam Increati, et Immortalis Dei, qui est sine loco, sine tempore, sine qualitate, sine quantitate, inenarrabilis, et indivisibilis SS. Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, quae vivit, et regnat nunc, et per infinita saecula. Item per voluntatem, et consensum, et electionem Sacerdotum, et principalium, et totius fidelis populi, et cum omnium attestazione, ordinabimus charissimum, spiritualem filium nostrum Isaacum Doctorem Episcopum, ipso nolente, in nomine terribili Sanctissimae Trinitatis, et per signum Sanctae Crucis, et per potentem dexteram Sancti Gregorii illuminatoris nostri, et Sancti Nicolai Smyrnensis Thaumaturgi. et Sancti Silvestri Papae, et aliorum Sanctorum, quorum Reliquiae existunt in Sancta Sede nostra ad custodiam omnium Fidelium Christianorum. Quapropter dedimus Baculum honoris, et praelaturae, et doctoratus, et episcopatus adjudicandos malefactores cum justitia, et sine acceptione personae: item Anulum in signum fidele, et permanens Divinae dispensationis suae cum Sancta Ecclesia, in vera, et recta fide. Item dedimus ipsi Baculum, ut abiens praedicet per Orbem Terrarum omnibus Armenis fidelibus Christianis

“secundum Dominicum praesertum: quod omnis qui offendat in hunc lapidem, corruat, et super quemcumque incidat, conterat ipsum: item dedimus potestatem perficiendi officia Episcopatus, sive benedicere Crucem, sive ordinare Sacerdotem, sive consecrare Ecclesiam, sive ordinare Diaconos, et Subdiaconos, et alios omnes, Ordines, concedendi potestatem dedimus spirituali Filio nostro Isaaco Episcopo. Nemo habet potestatem opponendi se illi, sive ex nostris, sive ex alienis. Ligatus ab isto super terram, sit ligatus in Caelo: et quemcumque absolverit, sit absolutus in Caelo, secundum Dominicum praeceptum: et quorumcumque peccata retineat ipse, et non dimittat, non dimittantur: et quaecumque absolverit, et dimiserit, sint ipsis dimissa. Maledicti ab ipso sint maledicti; et omnes adversantes ipsi, novis, et S. Gregorio illuminatori adversantur. Et obedientes ipsi, nobis, et S. Sedi Obediunt, secundum Dominicam vocem, quae dicit: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit: qui vos suscipit, me, et mittentem me suscipit: et quisquis potaverit vobis unum calicem Aquae frigidae: in nomine meo, non perdet mercedem suam:* et alia omnia praecepta, quae habentur in salutari Sancto Evangelio. Perficientes mandata nostra, et obedientes, benedicti sint a summo Deo, et omnibus Sanctis, et a nobis. Amen.”

*Hoc est mandatum ad omnes Fideles Armenos Christianos, et littera attestationis Episcopatus in manibus spiritualis Filii nostri Isaaci Doctoris. Amen.*

43 Quibus omnibus addo, respective ad Laicos peregrinantes, optimi consilli esse alias testimoniales litteras secum habere: nempe de statu libero, si liberi sint: de conjugali, si conjugati, de Vita, et moribus, et liberatione a Criminalibus.

44 Item pro cunctis, si Peregrinatio ad longinquas Regiones fiat, optimae erunt Litterae testimoniales Patriae suae, quae Sospitatis Syngraphae, seu *Fede di Sanità* nuncupari solent. Sintque in authenticam formam redactae, ad hoc ut si interim Pestis ingrueret in aliqua Regione, non arceantur, et ad Patriam remeare conentur, peregrinatione incompleta: sed appareant sani, et incolomes, atque e Provincia sana, et incolumi provenientes.

# BENEDICTIO PEREGRINORUM.

POST REDITUM.

## TITULUS VICESIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

- 1 Reditus felix non est omittendus sine gratiarum actione.
- 2 Peregrini gregatim debent accedere ad Ecclesiam.
- 3 Sacerdotes, et Clerici Episcopum suum adire tenentur.
- 4 Testimonium Peregrinationis deferre debent.
- 5 Laici Parochum adire debent.
- 6 Omnes in reditu Seditu benedici debent.
- 7 Ritus hujus Benedictionis.

1 Reditum Peregrinorum relationem habere ad illorum exitum satis patet, ex quo sicuti praescripsit Ecclesia Ritus benedicendi peregre proficiscentes, ita aliam Benedictionem statuerit pro feliciter ad Patriam redeuntibus: non enim sine gratiarum actione praetereundus est reditus felix post tot pericula, post tot labores, et incommoda, ad quae subeunda, vires Peregrinanti a Divina bonitate praestitae sunt. Proprie igitur ista non est Benedictio, sed Gratiarum actio, cui subsequitur Benedictio.

2 Gregatim itaque, et eodem pacto, quo Benedictionem petierunt antequam procederent ad longinqua, accedere debent ad eandem Ecclesiam, gratias Deo acturi, et Benedictionem a Sacerdote accepturi.

3 4 Sacerdotes, seu Clerici a peregrinatione reversi, Episcopum primo aut Vicarium suum, cum Litteris dimissoriis, quas dedit, conveniant, sanctaeque suae Peregrinationis testimonium ab Ordinario loci, aut saltem a praefecto Ecclesiae afferant, ad quam peregrinationis occasione ites susceperunt, nisi in litteris dimissoriis alius nominatim ab Episcopo exprima-

tur, ejus allato scripto, id testatum facere debeant, *Prov. 4. Act. 1.*

5 Si vero fuerint Laici a Peregrinatione reversi primo Parochum conveniant, a quo benedicantur, adhibitis ex Ecclesiae instituto praescriptis Sanctis Orationibus. *Id.*

6 7 Quicumque vero sint, qui post Peregrinationem ad Patriam redeant, omnes benici debent convenientes eodem modo, in Ecclesia genuflexi: super quibus Sacerdos, superpelliceo, et stola violacea indutus, debet Versiculos, et Orationes in Rituali praescriptas dicere: post quae asperget eos Aqua benedicta, et manu per signum Crucis benedicet, ut pax, et Benedictio Dei descendat super illos, redeantque tuti: et incolumes ad pristina eorum officia.

Si aliquis eorum in itinere obierit, moneantur qui reversi sunt, ut quam primum solennes exequias ac Officium Defunctorum Confratri defuncto persolvant ex charitate.